



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1637

De duobus modis electionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50934)



196 PRAXIS ET DECLARATIO  
tium istorum graduum , petendo à  
Domino nostro , vt tertiam illam sub-  
limiorem humilitatem , quò meliùs il-  
lum imitari eiùque seruire possimus , si  
hoc ad maiorem seu æqualem ipsius  
diuinæ Maiestatis gloriam fuerit, nobis  
donare dignetur.

*De modis electionis.*

Textus Exercitiorum S. Patris  
nostri sic habet :

*Modus prior sana bonæq; ele-  
ctionis faciendæ, sex constans  
Punctis.*

**P**VNCTVM PRIMVM erit,  
Proferre in medium rem delibe-  
randam, vt de officio vel beneficio, ac-  
ceptandùmne an potiùs reijciendum sit:  
& ita de ceteris rebus quæ ad muta-  
bilem electionem spectant.

SE-



SECUNDVM est, Adducto ante oculos creationis meæ fine, in hoc consistente, ut cum Dei laude saluus fiam, in neutram declinare partem amplectendæ vel repudiandæ rei controuersæ; quin potius velut in medio quodam interstitio & æquilibrio subsistere, parato interim animo, ut in eam illicò partem totus ferar, quam nouero diuinæ gloriæ & salutis meæ fore aptiorem.

TERTIVM, Obsecrare Dei clementiam, ut dignetur mentem instruere, & impellere voluntatem quocumque potius mihi tendendum sit, adhibito nihilo seciùs pio fidelique intellectus mei ratiocinio, per quod, apprehensâ & probatâ Dei voluntate, ad electionem ferar.

QUARTVM, Perpendere, quot tandem commoda vel adminicula mihi



198 PRAXIS ET DECLARATIO  
ad finem meum prosequendum acce-  
dent ex tali officio vel beneficio sus-  
cepto ; quot rursus ex eodem incom-  
moda & pericula impendent: præter-  
eà, quot per oppositum, omissis illo,  
tam commoda & adminicula quam  
discrimina & damna possim exspe-  
ctare.

QVINTVM, His præmissis ra-  
tiocinari in utramque partem, & iux-  
ta ipsius rationis dictamen, seposito  
carnis appetitu omni, electionem con-  
cludere.

SEXTVM, Electione factâ, ad  
orandum citò prosilire, & illam offer-  
re Deo, perfectè demum, si ei placeat,  
recipiendam & stabiliendam.

Modus